

tentia monimento aliquo insigni iustitiae tuae aduersus inimicos meos in circuitu. Et quoniam principibus præcepisti, ut eos qui scelere pascuntur, supplicis coererent, & innocentes liberarent, præta, quod aliis faciendum præcepisti, ut populus hoc videns te veneretur, iumen tuum sanctissimum timeat, & ad diuinum cultum reuertatur. Vnde ipse dominus apud Ezech. 7. Ezechielem septimo: Scietis, inquit, quod ego sum dominus percutiens. Castigat Deus vnum virga severitatis, ut alij corrigantur, & ex poena illa dulces ferantur fructus. Hæc est virga Aaronis, quæ percutiebat, sed flores tulit & amygdalas, hæc est aucupis sagitta, qua columba vna percutitur, sed cæteræ terrentur.

¶ *Et non cessabant, qui miserant eos.* Hoc est, qui eos proiecerant in fornacem. Poteris ad incendijs nutrimenta intelligere cupiditatum, ac voluptatum, cæterorumque flagitiorum incitamenta, quibus mundus, diabolus, & caro homines excitant ad peccandum, à quibus viri charitate & constantia muniti, diuino adiuti favore non offenduntur.

¶ *Naphtha.* Genus est bituminis circa Babylonem copiose provenientis auctore Plinio libro 2. quo ignis maximè nutritur & incenditur. Malleoli sunt noui palmites vitis, qui pro sarmentis aliquando accipiuntur. Hoc autem loco sumuntur pro fasciculis ex pice, sulphure, aliisque huiusmodi incendijs nutrimentis confecti, ad flammæ propagationem accommodati.

In hanc significationem accipitur hoc vocabulum à Cicerone in oratione pro Milone, cum ait: Domus in clivo capitolino scutis referta, plena omnia malleolorum ad verba incendia comparatorum.

¶ *Incendit, quos reperit.* Magnum profecto miraculum, dignumque quod homines tenerent stupidos, & admirantes, magnosque clamores tollentes. Eos ignis non tangit, qui sunt in medium eius coniecti, eos vero comburit, qui illum innocentibus parabant. Huiusmodi sunt, qui viris integritate vitæ ac morum prædicit constantiam inuidiam ac infamiam, & vulnera infligunt, in eos iaciunt contumelias,

eos opprimere calamitatibus conantur. Nam hi occiduntur crimine mortifero, aliorum autem gloria illustratur. Sibi æternam insigunt ignominiam, aliis autem nec opinati nominis comparant amplitudinem immortalem. Ita illis accidit, qui Danieli diem dixerunt, eique perniciem machinati stauerunt, vt in foueam leonum mitteretur. At illi Daniele liberato fuerunt in eundem lacum eiecti, & à leonibus lacerati. Id illis euenit, quod Perillo insigni fabro, qui cum taurum in quo homines subiectis ignibus torquerentur, ex ære fabricasset, illumque Phalaridi tyrannorum crudelissimo, qui nouis cruciatuum generibus oblectabatur, obtulisset, minus ab eo pro inuenio postulat. At tyrannus iussit & merito quidem, vt ipse in taurum illum inferretur, & primus experiretur poenam, quam aliis pararat, qui in clusum in illo fuit incendio commissus, & iuste combustus. Teltis est Plinius libro 34. Et postea idem Phalaris fuit à suis in taurum illum coniectus, & ibi crematus, vt ait Ouidius in ibi. Tandem taurus ille fuit ab Agrigenis proiectus in mare, vt narrat Timæus, ne vlla scævi tyrani memoria remaneret. Id viderunt illi, qui eorum immanitatem experti fuerant, iuxta illud Psalmi 90. Et retributionem peccatorum videbis. Narrat capite 16. Numerorum diuina scriptura egressum esse ignem à Domino, eosque interfectisse, qui per seditionem incensum offerebant. Erupit ignis è thuribus, quo impij fuerunt consupti, & proprio igne quem accenderat, flagrarunt. Itaque proprio gladio iugulati sunt. Impletus est illud psalmi 36. Gladius eorum intret in corda ipsorum.

¶ *Angelus autem domini.* Vbi deest auxilium humanum, solet Deus viris iustis opitulari diuino. Eodem modo misit angelum, qui Isaac à cæde, ne immolaretur, eriperet, & Petrum apostolorum principem è carcere liberaret.

¶ *Excussit flammam ignis de fornace.* Ita diuino auxilio flamma vitiorum nostro rum extinguitur in nobis, si Dei misericordiam toto animo imploramus, & virtuti ac veræ laudis studemus.

Dani. 6.

Dan. 14

Plinius.

Ouidi.

Timæ.

Psa. 90.
Nu. 16.

Psal. 36.

Gen. 22.

Act. 12.

Et